

...ung ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

ordn.
...
...
...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...
... die ...

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G. V. f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. 1515CCCXIII.

6 bände:

4
I
ASSERTIONES THEOLOGICÆ
CONTRA ANTITRINITARIOS:

DEVM SINE CON-
TRADICTIONE DICI
TRINVM & VNVM.

De quibus sub Præsidio

DANIELIS TOSSANI S. THEO-
LOGIÆ D. ET PROFESSORIS
in Academiâ Heidelbergensi.

Respondebit

WILHELMVS KREI HACHEN-
burgensis, S. Sanctæ Theologiæ studiosus
in illustri Collegio domus Sapientiæ.

*VIII. Decembris, horis matutinis
in auditorio Theologico.*



HEIDELBERGÆ,
Apud Abrahamum Smeßmannum.
ANNO Clō. Id. Xciii.



ASSERTIONES THEOLOGICAE
CONTRA ANTIRITARIOS
DEVM SINE CON
TRADITIONE DICIT
TRINVM & VNUM


De quibus sub Titulo

DANIELIS TOSSAETI S. THEO
LOGI D. ET PROFESSORIS
in Academia Hallesensi

Respondit

WILHELMUS KREL HACHEN
burgensis, Sacerdos Theologiae
in Academia Hallesensi

1717



Alibi Argumentum
anno cl. 1717





THESES THEOLOGICAE
CONTRA ANTITRINITARIOS:
DEVM SINE CONTRADICTIONE
DICI TRINVM ET VNVM.

THESIS PRIMA.

FIDES Catholica hac est, ut VNVM Deum Athanas. in Symb.
in TRINITATE, & TRINITATEM
in VNITATE veneremur: neque confun-
dentes personas, neque essentiam diidentes
in partes.

II.

*Dominus ita docuit: Apostoli prædicarunt: patres obser-
uarunt: martyres confirmarunt: & quemadmodum gentilis-
mum & prauam Idololatriam declinauimus, multorumq;
Deorum cultum impium esse cognouimus: ita & Iudeorum
filium Dei negantium, & Macedonianorum Spiritum San-
ctum inter creaturas numerantium blasphemias auersamur.* Basil. in Ser-
mon. contra
Sabell. &
Arr.

III.

*Magnam enim veritati & Ecclesie Catholice iniuriam
faciunt, qui hanc de TRINITATE doctrinam, vel ex Py-
thagoræorum & Platoniorum disciplina & numeris, vel ex
Pontificum Romanorum traditionibus haustam & deprom-
tam esse contendunt.*

IV.

*Imò hoc nomine à multis derisa & oppugnata fuit, quòd
à ratione humana abhorrere videtur, siquidem hominibus
quidem omnibus generalis quaedam Dei notitia insita est, non*

A ij autem

1. Cor. 2.

autem hæc specialis de Dei essentia, quæ est Pater, Filius, Spiritus Sanctus: quam σοφίαν ἐν μυστηρίῳ Apostoli verbis vocare possumus, & quæ speciali Dei reuelatione contingit.

V.

Plato epist.
2. ad Dion.
Hermes
Trismegist.
in Pimandro.

Ea verò, quæ Platonici de primo, secundo & tertio principio: aut de mente, Verbo & Spiritu philosophati sunt, nostris his Ecclesiæ dogmatibus planè dissimilia sunt.

VI.

Primum enim tota Idealis fuit illa Platoniorum doctrina ex superstitiosa quadam TERNARIi numeri obseruatione nata: de quo & Aristoteles initio lib. 1. de Cælo, Omnia iuxta Pythagoræos hoc numero, nempe principio, medio & fine contineri: & tanquam lege nature summam in sacris eius rationem haberi scribit.

VII.

Deinde Platonici illud de mente Verbo & Spiritu ad hominum rationem & mentem sic referebant, ut putarent, meditatione quadam λόγον à mente productum fuisse, λόγον videlicet θεωρητικόν, non ἐπιδημητικόν: quòd Ecclesiæ de λόγῳ illo aeterno minimè statuit.

VIII.

Denique illi ita loquuti sunt, ut iuxta eorum ratiocinationem tres Dii separati fingantur, qualia sunt tria eiusdem speciei individua: non autem una & eadem numero TRIVM essentia agnoscat, quemadmodum fit in Ecclesiæ.

IX.

Etsi igitur nonnulli patres, ut Eusebius de præparatione Evangelica, Augustin. lib. 7. confess. cap. 8. & nominatim Cyrillus lib. 1. contra Iulianum suspicati sunt, Hermetem illum Trismegistum & Platonicos aliquid intellexisse de doctrina Trinitatis, & eam ex Mosis scriptis didicisse: atque ideo contra philosophos nonnunquam testimonia inde desumunt: id tamen se tantum opinari dicunt, & huiusmodi non tam ad
pro-

probandum dogma Trinitatis: quàm alliciendos Ethnicos ad aliquem doctrinae sacrae gustum protulerunt.

X.

Imò non dissimulat Cyrillus doctrinam illam Platonico-
rum, quae in Deitate statuit *τρίθεον καὶ ὕψιστον*, ut ipse
loquitur, id est, certos quasi gradus subincessionis & submis-
sionis: illam, inquam, separare Dei essentiam & diuersos Deos
facere, quorum alij alijs subiecti sint, ut Ariani postea ima-
ginati sunt: & totam illam philosophorū notitiam tenuis ima-
ginationis umbracula quaedam vocat Augustinus, quae ni-
hil solidi habeant, & salutem adferre non possint.

lib. 1. contra
Julian. sub
finem.

lib. 10. de
Ciuitas. Dei
cap. 29.

XI.

Quòd porrò veteres ex rebus naturalibus, ut ex tribus
anima potentiis: ex Sole: ex tribus rerum naturalium princi-
piis similitudines, ac Trinitatis quasdam imagines nonnun-
quam mutuuntur: qua in re Graeci Latinis parciores fuere: id
tamen non ad probandum, sed ad illud dogma nonnihil apud
rudiores illustrandum, idq; non sine excusatione faciunt.

XII.

Augustinus enim postquam in libris de Trinitate varias
similitudines conquisiuit: idem tamen lib. 15. cap. 7. & cap. 13.
se diligenter excusat, quod frustra studeat infinitae & incom-
prehensibilis rei imagines in rebus creatis querere.

XIII.

Quantum autē τὸ διότι assequi in hac vita non possumus,
& occulta curiosè scrutanda non sunt: ignoranda tamen non
sunt, quae in Dei verbo luculenter manifestata sunt quemad-
modum est τὸ ὄν.

Theodoret.
Dialog. 1.

XIV.

Ante omnia itaq; ad huius doctrinae perceptionem autori-
tates S. Scripturae sunt examinandae. in qua se Deus maximè
reuelauit: De Deo enim (inquit Hilarius) humanis iudiciis
non est sentiendum: A Deo descendum est, quid de Deo intel-
ligendum sit: quia non nisi se autore cognoscitur.

August. lib.
1. de Trinit.

de Trinitat.
lib. 5.

A ij Et id

XV.

Vide Lomb. lib. 1. d. 4. & 6. Gregor. de Valentia lib. 1. cap. 10. de Trinit. Emman. de Vega in sua assert. cōtra Samosat.

Et id Scholastici ipsi & alij Pontificij autores fatentur, veras & solidas huius dogmatis probationes esse ex Scripturis Veteris & N. Testamenti petendas.

XVI.

Quò magis insulsum est, quod Iesuita quidam Trinitatem sine Traditione stare & defendi non posse asserit. Sed & illud non minus insulsum, quòd fallacia equiuocationis hominibus imponit.

XVII.

1 Cor. 15. ver. 1. 2.

Euangelium enim & Scripturas nobis traditas esse ait: quod facile admittimus: sicut & Apostolos tradidisse, quæ à Christo acceperant: sed extra Scripturas nobis traditas, nouis traditionibus humanis opus esse ad stabilienda Fidei dogmata, imò fidem sine talibus traditionibus consistere non posse: id verò pernegamus.

XVIII.

Cum igitur de principiis huius doctrina sit dictum, & unde eam hauriat Ecclesia, iam ad rem ipsam accedemus, demonstraturi ex Scripturis: Verum illum Deum, qui vnus est, esse patrem, filium & Spiritum sanctum: vbi simul ostendetur, quid per vocabulum Trinitatis intelligat Ecclesia, quare & quo sensu eo utatur: quomodo deniq; sine vlla contradictione rectè à nobis colatur & inuocetur DEVS trinus & vnus.

XIX.

Ac de vero quidem & vno Deo, longè certiora & euidentiora testimonia habet Ecclesia, quàm tota Ethnicorum & Philosophorum cohors, quorum tam varie & dubie fuere ea de re sententia.

XX.

Non id enim tantum ex simili & sibi consentiente gubernatione & motu huius Vniuersitatis, aut ex eo, quod primum principium primamq; causam vt perfectissimam, sic simplicissimam & vnã esse oportet: verum imprimis ex patefactione verbi Diuini, & summo consensu Ecclesie Veteris, & N. Testa-

stamenti in vnius veri Dei confessione & inuocatione demonstratur.

XXI.

Inter alia memorabile est, quod is, per quem omnia condita, & qui toto primo capite Genesew, ELOHIM in plurali vocatur: sequenti capite, nempe secundo, undecies IEHOVA DEVS nominatur: vnus scilicet ille, qui ab aeterno EST, & omnibus creaturis suum ESSE largitur, per quem omnia consistunt: & cuius nomen à primis illis temporibus inuocauit familia Sanctorum.

Genes. 4. v. 26.

XXII.

Hunc cultum VNI IEHOVÆ debitum continuauit Abraham egressus ex VR Chaldaeorum. Genes. 12. v. 5. Genes. 14. v. 22. Genes. 21. 33. Continuarunt & alij sancti Patriarchæ eius posterij. Genes. 35. v. 2. 3. 4.

XXIII.

Edicta etiam multa de hoc VNO vero Deo agnoscendo & colendo in Vetere & Nouo Testamento extant. Deut. 6. Dominus Deus noster IEHOVA VNVS est. & Deut. 32. Dominus SOLVS dux populi fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Videte, quod ego sim, & non sit Deus præter me. Sic Iosua. 24. prolixè testatur Iosua cum populo, se velle solum illum Iehouam colere, qui eduxerat eos ex terra AEgypti, relictis omnibus Diis alienis: licet v. 19. propter tres personas, quæ non sunt Deus alienus, sed idem verus Deus, dicat Iosue in plurali: Dijs sancti, est ipse: & Deus emulator. Ita & Salomon 1. Reg. 8. suum templum consecrat vni illi Iehouæ Deo Israël inter alia dicens: Domine Deus Israël non est similis tui Deus, in cælo desuper, nec super terram deorsum. Item David Psal. 86. Tu es Deus SOLVS. Et Psal. 136. Confitemini Domino Dominorum, qui facit mirabilia SOLVS. Item Ezechias Esai. 37. Domine exercituum, Deus Israël, tu es Deus SOLVS omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum & terram. Et Esai. 44. contra Deos illos subordinatos, siue priores

res & posteriores *Arrianorum*: Ego primus & ego no-
uissimus, & præter me non est Deus.

XXIV.

Matth. 4.
Ioh. 17.
I. Cor. 3. 4

*Sed infinitum esset omnia testimonia colligere: Sufficiunt
illa selectiora: cum quibus optimè congruit & consonat N.
Testamenti doctrina: Dominum Deum tuum adorabis, & ei
solis seruias. Item, DEVM ἀληθινὸν esse VNVM, siue solum
Deum, licet non sit solitarius, ut loqui solet Augustinus: Et
D. Paulus: Nullus est Deus alius, nisi VNVS.*

XXV.

*Sic igitur argumentatur Ecclesia: Ille vnus & verus Deus,
quem coluerunt sancti patres, & qui se in verbo patefecit, est
pater filius & Spiritus Sanctus: qui ergo hos tres agnoscit &
distinguit: ille demum SOLVM illum VERVM Deum agno-
scit & colit.*

XXVI.

*Numerari enim tres, & de patre, filio & Spiritu S. pradi-
cari non modò Deitatem, verum & attributa diuina & ope-
rationes diuinas docet nos veteris & N. Testamenti con-
sensus.*

XXVII.

*Quidnam in vestibulo Genesew unitatem essentia diui-
na nobis exprimat, supra ostensum est: Pluralitatem verò per-
sonarum satis euidenter ibidem recognoscimus, ut Genes. 1.
FACIAMVS hominem ad imaginem nostram: & cap. 3.
Adam, quasi vnus ex NOBIS factus est: qui numerus plu-
ralis, non de phrasi aliqua, quæ honoris causa vsurpetur, quod
planè inusitatum est in scripturis: nec de consultatione aliqua
cum angelis accipi potest: quia opus Creationis soli Deo asseri-
tur. Esai. 44. v. 19. Ierem. 10. v. 11. 12. & Genes. 48. patriar-
cha Iacob Deum inuocans, simul magnum Angelum fœderis,
id est, Christum inuocat, & suum liberatorem agnoscit.*

XXVIII.

*Nec pluralem solum aut indefinitum numerum Scriptura
nobis*

nobis proponit: verum ad **TRIA** ὁφισόμενα nos renocat: & solis his tribus patri, filio & Spiritui Sancto, tanquam vni illi vero Deo, elogia illa diuina tribuit.

XXIX.

Vt, quemadmodum **PATER** dicitur Creator: sic Filius, sic Spiritus Sanctus: nec aliter omnia creata dicuntur, quam per verbum & Spiritum. Item ille Deus & Iehoua, qui eduxit populum ex Aegypto, & eum in columna nubis antecedebat, non solum est pater, sed & magnus ille Angelus, de quo Exod. 23. v. 20. quem Moses ante cap. 13. v. 21. **IEHOVAM**, sicut & pater ac mater Simsonis, Iudicum 13. v. 22. 23. appellarunt. Ita & Spiritus Domini ductor populi in deserto fuisse dicitur Esa. 63. v. 11. & 14. Item Aggei. 2. v. 6. 1. ubi fit mentio presentie Dei in Ecclesia, Dominus exercituum cum **VERBO** & Spiritu suo dicitur mansurus cum eis. Deus ipse pronunciat, se populum seruaturum per **IEHOVAM** Deum ipsorum, id est, per Messiam perpetuum fundamentum fœderis Dei, qui non solum supradictis locis Iehoua vocatur: sed & Ierem. 33. v. 16. & Psal. 86. 10. & expectatus Seruator, Esa. 25. v. 9. & Malich. 4. v. 5. Is, cuius præcursor fuit Ioannes Baptista, Iehoua nominatur.

XXX.

Et ad illum ipsum ternarium numerum personarum respiciunt non pauca loca Scripturæ Veteris etiam Testamenti: vt Psal. 67. v. 8. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Et Esa. 6. Clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: quæ tria sic repetuntur. Apocal. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est & qui venturus est: Imò quod Esaias se à Domino Deo ibi audiuisse dicit: id ad Christum accommodatur Ioh. 12. 41. & ad Spiritum S. Act. 28. v. 25.

XXXI.

Et si verò clariora multò & expressiora de tribus personis, sicut & de ipsis angelis, & de toto mysterio redemptionis testi-

Proverb 8.
27 Iohan. 1.
3 Genes. 1. v.
2 Iob. 33 v 4.
Psal. 104. v. 3.

Osee 1. v. 7.

2. Petr. 1.

Malach. 4.

monia extant in N. Testamento, quàm in Vetere: quando-
quidem Deo id sic dispensante, priorum illorum temporum no-
titia fuit lucernæ instar splendentis in obscuro loco, donec Lu-
cifer & Sol iustitiæ exoriretur: certum est tamen unum &
eundem esse Deum, qui in Vetere & Novo Testamento propo-
nitur & colitur, ut & VNA est fides: qua veteres seruati sunt,
& nos seruamur.

XXXII.

Ioh. 5. & 8.
Act. 10. & 13.

Idcirco Christus ad Mosem & prophetas sæpe pronocauit,
quod ipsum fecerunt Apostoli: & accusatus Christus de blas-
phemia, quod se Dei filium faceret, probauit, id sine Dei iniu-
ria fieri, cum pater & ipse unum sint, una & eadem utriusq;
operatio: ipse in patre, & pater in ipso: ita ut qui unum hono-
rare velit: alterum quoq; honoret, oportet.

XXXIII.

Matth. 1. 23.
Matth. 16.
1. Ioh. 5.
Hebr. 1.
1. Corinth. 12.
1. Cor. 3. 16.

Vocatur igitur apertè Christus in N. Testamento & Deus,
& filius Dei viui, & character personæ eius: sicut & Spiritus
Sanctus Deus ille, qui omnia operatur in nobis: & quem dum
in nobis speciali gratia & energia habitantem habemus, Dei
templa nuncupamur.

XXXIV.

Ioh. 1.
Ioh. 5.
1. Ioh. 3.
Matth. 28.

Opera præterea & prærogatiua verè diuina filio tribuuntur:
ut condere secula: excitare mortuos: vitam habere in se, ut pa-
ter: dissoluere opera Diaboli: iudicare viuos & mortuos; esse
cum Ecclesia usq; ad mundi finem.

XXXV.

Matth. 3.

Matth. 28.

Et de ipso personarum numero expressa habemus testimo-
nia: in Iordane primùm, ubi Christus baptizatus, & vox pa-
tris de filio testificantis audita est, & Spiritus S. sub specie co-
lumbæ distinctè apparuit: quemadmodum & cum iussi sunt
Apostoli baptizare in nomine patris, filij & Spiritus Sancti.
Et Ioh. 14. Consolator ille Spiritus Sanctus, quem mittet pa-
ter in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et 1. Ioh. 5. TRES
sunt

VI

sunt, qui testificantur in caelo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.

XXXVI.

Ex his & similibus locis, quae ab Ecclesia produci solent, manifestum fit, orthodoxos non superstitiosa aliqua aut Pythagorica ternarii numeri observatione unam & aeternam Dei essentiam sic colere, ut tamen tres illas personas distinguant, patrem, filium & Spiritum S. quandoquidem sese ita Deus in praecipuis suis operibus ab initio mundi, nec non tot perspicuis testimoniis Scripturae patefecit: & sic omnino colendus est & invocandus, quemadmodum sese reuelavit: nisi nostra phantasmata loco veri Dei colere velimus.

XXXVII.

Conficitur & illud ex supra citatis Scripturae locis, quando tres nominamus personas, patrem scilicet, filium & Spiritum S. non esse nudos titulos aut appellationes eiusdem rei, ut Sabellius imaginabatur, sed distincta ὑποστάσεις: quandoquidem τὸ ὑποστάντων, non autem nuda cogitationis est condere mundum, venire in mundum: assumere formam visibilem, ut à filio & Spiritu S. factum est, ducere populum, docere Ecclesiam, &c.

XXXVIII.

Neg. tamen tres facimus Deos diversos, quod potius fit ab aduersariis Tritheitis, Arianis & Seruetanis: qui tres esse Spiritus aeternos contenderunt, essentiali numero distinctos, sed Sic Valentin. Gentil. in prothesi inaequales: unum essentiatorem, duos essentiatos: unum episcopi, alterum presbyteri, tertium Diaconi instar: ut Athanasius de Arianis talia somniantibus refert in Dialogis de Trinitate contra Anomaeos.

XXXIX.

Nos enim numerum non ponimus in ipsa essentia Dei, quasi illa sit ter una, quae est simplicissima & indivisibilis, sed ponimus in personis, quae indicant τὸν τρόπον ὑπαρξεως: & quibus tota illa essentia infinita communicatur.

B ij

Hinc

XL.

Hinc rectè quidem dicimus, Patrem esse omnipotentem & verè Deum: Filium omnipotentem, & verè Deum: Spiritum S. omnipotentem, & verè Deum, quia in singulis est tota illa Deitatis essentia: nec tamen esse tres Deos absolutè, siue tres Deitates aut diuinas essentias: aut tres omnipotentias.

XLI.

Neg, hic fingimus personas extra essentiam, aut quaternitatem in Deitate: sed patrem, filium & Spiritum S. credimus esse illam vnã numero, indiuiduam ac simplicissimam Dei σοία : quæ non τὸ εἶναι, sed τὸ λόγῳ à personis discernitur: personæ quippe sunt ipsa illa essentia Deitatis.

XLII.

Nulla etiam est in hac doctrina contradictio, quando dicimus, Deum esse vnum, scilicet absolutè, & rursus trinum relatè: neg, enim dicimus, Tria, quæ ratione sunt tria, vnum esse: videlicet secundum rationem personæ: quod manifestam haberet contradictionem: sed docemus & credimus, secundum vnã rationẽ, nempe τὸ πρὸς τὸ ἀρξῆς & incommunicabiles proprietates, esse in Deo tria: secundum aliam, nempe essentiam, quæ personis communicatur, & est infinita, esse vnum.

XLIII.

Quod dogma licet est supra rationem: talis enim res infinita non extat in rebus creatis & finitis (quod hæretici obseruare nolunt) non tamen est contra rationem: vnum & tria secundum aliam & aliam rationem de re aliqua dici.

XLIV.

Personas enim, quæ sunt subsistentiæ intelligentes & indiuiduæ, incommunicabilibus proprietatibus inter se distinctæ, & numerari, & necessariò distingui nos docuit tum Scriptura, tum ratio euidentissima.

XLV.

Alius quippe est pater ingenitus: alius Filius genitus: alius Paracletus: licet non aliud, id est non alia essentia. Nam qui videt

videt patrem, videt filium: & pater est in filio: & in eodē plenitudo Deitatis, communicata scilicet essentia respectu, & per consequens Filius non minus αὐτόθεος, καὶ αὐτόζωος est, quā pater.

XLVI.

Ita rursus, si operationes spectemus, etsi indiuisibilia sunt τὰ ἀποτελέσματα, effecta: nam ipsa filij Incarnatio totius Deitatis opus est: alius tamen est, qui mittit filium, alius missus à patre, natus ex virgine Maria: alius Spiritus S. procedens à patre & filio, virginem Mariam obumbrans, & charitatem patris & filij in corda nostra diffundens.

XLVII.

Interim tamen illi tres non sunt Deus aliquis compositus triceps, aggregatus: qualia monstra aduersarij malitiosè fingunt: sed sunt illa Dei essentia, inseparabilis & indiuisa; quæ longè aliter de patre, filio & Spiritu S. prædicatur, quā humanitas de Petro & Paulo: in quibus humanitas non est eadem numero, sed tantum specie: Sunt enim indiuidua eiusdem speciei: quorum quodlibet suam habet numero distinctam humanitatem, loco, tempore & subiecto separatam.

XLVIII.

Et licet dicimus Deus, Deus, Deus: vel in plurali ELOHIM, vt scriptura loquitur: id respectu personarum sic dicitur, quia nec unitas essentia trinitatem personarum: nec Trinitas, essentia unitatem abolet.

XLIX.

Sic & Orthodoxè dicitur: Deus Deum genuit: quia is, qui est genitus, est verè Deus, patri ὁμοῦσιος: nec tamen Deus seipsum genuit: quia non genuit eum, qui est pater: sed eam personam, quæ est Filius.

L.

Sunt autem, qui concedunt tres personas, patrem, filium & Spiritum S. vnum esse Deum, & vnā essentiam: sed nolunt concedere, id conuerti: Vnum Deum esse tres personas, siue Trinitatem: Sed fides Catholica vtrumq; credit: quia per

B ij Trini-

Trinitatem nil intelligitur præter illam unam essentiam Deitatis: in qua subsistunt tres personæ: ita ut hinc nulla quaternitas inducatur. Filius quippe ex persona Patris manat per generationem: Spiritus S. per processionem ab utroq.

L I.

Obiectiones aliquot præcipue adversariorum.

Conantur Iesuitæ, Calvinum & nonnullos alios pios doctores in Arianismi suspicionem vocare: Calvinum enim scribere, Patrem in Scripturis Deum vocari κατ' ἐξοχλῶ: & Bulingerum alicubi scribere tres in Diivinitate personas differre non statu, sed gradu, non subsistentia, sed forma: non potestate, sed specie.

L II.

Augustin. lib. 4. de Trinitate.

Quod ad priorem obiectionem attinet, tantum abest, ut Calvinus eo in loco, quem illi notant, nempe lib. 1. Institut. cap. 13. sect. 23. accedat ad Arianorum sententiam, ut ibi ex professo eos refutet, qui existimant, Dei appellationem propriè patri competere, & ab ea filium excludi: quod pernegat Calvinus: licet κατ' ἐξοχλῶ, inquit, de patre prædicetur: non quod gradu vel dignitate superet filium: sed quatenus non est ab alio, & fons ac principium est Deitatis, ut eum Cyrillus in Dialogis de Trinitate, & Augustinus sæpe vocant.

L III.

Id ipsum sic explicat Zanchus lib. 4. cap. 3. prioris partis de Trinitate: quòd cum dicimus patrem fontem Deitatis & vitæ: haudquaquam excludamus filium & Spiritum S. Non enim de solo patre, sed de Dei essentia, & ipso Iehoua dicitur: Apud te est fons vitæ: Et Christus ipse dicit Ioh. 5. Sicut pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso: Sed ideo patrem sæpius vocari Deum, quia est prima persona, quæ nominatur, & ab ipso sunt Filius & Spiritus S. quo nomine etiam κατ' ἐξοχλῶ ὁ ζῶν vocatur, Ioh. 6. v. 57.

L IV.

Quod ad alterum locum, quem in Bulingero cauillantur: sunt ipsa verba Tertulliani in tractatu contra Praxeam: ubi
dogma

VIII
dogma Trinitatis fortiter quidem asseritur: sed ut monet Beatus Rhenanus in argumento illius libri, quia primus fuit ex Latinis Tertullianus, qui illud argumentum tractavit, & alias sium habet saepenumero stylum, nimis Aphricum, multa in eius scriptis duriora vocabula occurrunt, quae commoda interpretatione lenienda sunt. Ergo cum ait, tres esse forma distinctos: per formam τὸν τρίτον ὑπόθεσιν: per gradum, ordinem non autem praeminentiam aliquam intellexisse videtur: praesertim cum disertè ibidem scribat, Patrem, Filium & Spiritum S. unius esse potestatis & status, & unum Deum: nec destrui unitatem οὐνονομαία illa, siue dispositione Trinitatis.

L V.

Quod porrò Antitrinitary obiciunt, obtrudi Ecclesiae vocabula noua, & quae nec in Scripturis extent, nec intelligi facile possint, veluti essentia, Personarum, Trinitatis contra D. Pauli preceptum de vitandis vocum nouitatibus 2. Timoth. 2. 16. respondemus cum Hilario: Nouitates vocum prohiberi, sed profanas, periculosas, sanæ doctrinae non conuenientes.

Contra Cō-
stat. August.

L VI.

Profanas autem dici non posse, quarum sensus sit in Scripturis: imò ipsa etiā vocabula. Appellatio enim ἰσίας à nomine IEHOVÆ, qui ὁ ὢν vocatur, orta est. Ita & filius character vocatur τῆς ὑποθέσεως personae patris. Sic & euidentis est, cum de Deo agitur in Scripturis, tres saepe nominari: patrem, filium & Spiritum S. Cur igitur non liceat Trinitatis vocabulo uti, quo primi illi Apostolorum successores Irenaeus, Iustinus Martyr, Tertullianus vsi sunt; non autem, ut illi volunt, sub Pontificibus demùm Romanis natum est.

Exod. 3.

Hebr. 1.

L VII.

Ecclesia certè non tam de vocabulis litigat, quàm de ipsa doctrina, quam oppugnant haeretici. Denique ut scribit Augustinus: Loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possimus, dictum est à nostris Vna essentia, tres subsistentiae,

lib 7. de Trl.
nit. cap. 4.

tia, vel tres persone: ita tamen, ut huiusmodi voces, quoties eas ad illa diuina transferimus, longè aliter, quàm in Philosophia, aut rebus naturalibus explicemus & usurpemus.

LVIII.

lib. 8. de Trinitat.

Difficulter (inquit Augustinus) assequimur, quid sit Deus, quia consuetudo carnalis vera, quæ creata sunt, sentit quidem, ut potest: veritatem, quâ creata sunt, intueri nequit.

LIX.

Illa consuetudine carnali fascinati aduersarij, mirantur essentiam Dei simplicissimam dici posse: in qua tres numerentur: quod quidem absurdum esset, si essentiam multiplicari statueremus per personarum numerum: verè autem & orthodoxè dicitur de Essentia, quæ una integra, & tota manet in tribus personis.

LX.

Ioh. 14.

Atqui (inquit quidam illius sectæ hoc tempore Corypheus) vos realem distinctionem agnoscitis inter personas, & alium esse patrem, alium filium: Ergo reipsa tres facitis Deos. Ad quod respondemus, neminem posse dubitare, alium esse patrem, alium filium: presertim cum Scriptura sic loquatur: Alium consolatorem dabit vobis pater: sic autem realiter inter se distingui personas, incommunicabilibus nimirum proprietatibus, ut non sint extra essentiam, quam nec separamus, nec τὸ εἶναι à personis distinguimus.

LXI.

Instat ille & urget multis verbis, VNVM Deum tradi in Scripturis: Illum unum esse patrem: Dogma igitur Trinitatis sapere Idololatriam; & nos illi uni Deo adiungere alios, ut Pontificij suos Diuos.

LXII.

Sed statim sibi contradicit, dum fateri cogitur, & Dei nomen, & nomen ipsum Iehouæ de filio Dei predicari: verùm (ut ipse ait) alio sensu, quàm de patre: sicut & de Angelis & aliis

IX
aliis predicatur. Atqui mera est petitio principij: & falsissimum esse constat ex Scriptura, Iehouæ nomen de Angelis, aut aliis, quàm de vero Deo predicari. Constat etiam, Deum honorem suum non concedere aliis: Imò nomina illorum Deorum, qui non condiderunt cælum & terram, excindenda esse. Ierem. 10. Filio autem tribuitur honor Creationis, inuocationis, adorationis: Item, ut credamus in eum, sicut in Deum: ut baptizemur in nomine eius, sicut in nomine patris. Et illum David Dominum suum vocat, non certè vulgari modo, sed, qui sit à dextris Dei, & omnes inimicos ponat scabellum pedum, & qui colligat sibi Ecclesiam. Ergo non alio modo predicatur Deus de filio, quàm de patre.

LXIII.

Et sine Idololatria id fit, quia pater filium generans genuit ab æterno sibi similem & suæ essentiæ filium: Diuersam planè rationem esse Idolorum in papatu; cum quibus illi blasphemi homines hunc nostrum filij Dei cultum comparare volunt, quis queso non videt? Sed tunc demùm potius Idololatria committitur, quando ab Arianis Filius Dei dicitur Deus subordinatus, factus, dissimilis essentiæ, cui tamen diuinum cultum & inuocationem deberi professi sunt Claudopolitani ministri, in summa doctrinæ an. 70. edita: quanquam non ignoramus, eos inter se ea de re disceptare, & aliam Blandrate, aliam Francisci Davidis fuisse sententiam: quemadmodum tot inter ipsos ferè sunt sensus, quot capita.

LXIV.

Quod verò urgent locum illum 1. Cor 8. Nobis VNVS Deus est PATER: Item quod Ioh. 17. Christus ipse docuit, hanc esse vitam æternam, ut cognoscamus SOLVM verum Deum, excluso Christo, qui se mediatorem tantum, non autem Deum vocet: respondemus simili collectione ex illo loco. 1. Cor. 8. colligi posse, Deum patrem non esse Dominum, cum ibi dicatur, vnus Dominus, per quem omnia, Iesus Christus.

C

Non

LXV.

Non sequitur (aiunt illi) quandoquidem Deus pater Dominus est alia ratione, quàm filius: is scilicet Dominus, ex quo omnia: non per quem omnia, quod est redemptoris: respondemus, vim collectionis in eo esse, quod Christus VNVS Dominus dicitur: Ideo ex illa unitate non sequi, excludi alias personas: Deinde supra iam ostensum est, meram esse petitionem principij, cum Christus æquale dominium cum patre obtineat, cum sit & ὁμοούσιος & ὁμοαΐδιος, nec minus sit, per EVM omnia esse, quàm ex eo omnia esse: siquidem per eum non ut instrumentum, verum uti per verbum essentiale, & sapientiam essentialem semper operantem cum patre, & ea ipsa quæ operatur pater, omnia facta sunt.

LXVI.

Apparet etiam ex circumstantiis illorum locorum Ioh. 17. & 1. Corinth. 8. VNVM Deum opponi non filio, qui unius est essentia, sed iis, qui non sunt natura Dei, ut loquitur Paulus Galat. 4. v. 8. & discernitur quidem Filius à patre Ioh. 17. non tamen essentia ratione, sed officij καὶ τῆς οἰκονομίας, ut verba textus habent QVEM MISISTI, id est, quatenus missus est, ut sit Christus, Rex, Propheta & Sacerdos.

LXVII.

Et est ἀτυπία Theologicum, quod non temerè inculcat Augustinus libr. de Inquisit. Trinitatis: Nullatenus ad solam personam patris pertinere, quoties in Vet. vel N. Testamento VNIVS aut solius Dei fit mentio, ut 1. Timoth. 6. Soli Deo immortali. Nam, inquit Basilus lib. 5. contra Eunomium: Tota Deitas nonnunquam nomine patris, nonnunquam filij; nonnunquam Spiritus S. exprimitur. Nam quod nec de Angelis, nec ullis aliis creaturis fit, de filio saepe absolutè predicatur, quod sit Deus, imò ut talis adoratur: sicut prolixè ex Scripturis docet Irenæus. lib. 3. cap. 6. & 8.

Ioh 20. 28.
Act 20. 28.
Rom 9. v. 5.
Tit. 2. v. 13.

At

LXVIII.

Atqui inquit isti: vocatur character hypostaseos, vocatur forma Dei: Ergo non est ipse Deus. Nam aliud est Deus, aliud eius Imago, & forma.

LXIX.

Ad quam obiectionem iam dudum responderunt patres: filium esse characterem, verum non imaginarium cum sit ὁ ἰδιος υἱὸς καὶ ἰσότητος & subsistat apud patrem & operetur cū patre: verum ἀπαράλλακτον, ut loquuntur Græci patres. Sic etiam Forma Dei haudquaquam significat D. Paulo externam speciem, qualis nulla est in Deitate, sed ut vox illa in Scripturis semper usurpatur, internā & essentialē formam, ac ipsam Dei naturam: ἃ μὲν ἄλλο μορφῆ, ἔ ἄλλο ἔσθια Θεῶ, ἵνα μὴ σιωπῆς: inquit Basilius.

Ioh. 5.18.
Philpip. 2.6.

LXX.

Inane est & illud argumentum: Filius videt Patrem. Ergo non est Deus, quia Deus seipsum non videt. Quid si autem ei non concedatur, patrem, qui omnia videt, seipsum non videre? Nam cum illud videre Christi de perfectissima notitia intelligatur: quis neget, patrem seipsum perfectissime nosse, ut omnia nouit?

LXXI.

Ceterum argumentum, in quo maximè se efferunt Antitrinitarij, tale est: Verus & vnus Deus inuocari à fidelibus debet per filium Mediatorem. Ergo vnus & verus Deus sine filio inuocari potest: aut si desinit esse Mediator, & ut Deus inuocatur, frustra inuocatur, quia sine Mediatore.

LXXII.

Negatur ab Orthodoxis illud & enthymema & dilemma. Non sequitur enim, Christum propter officium Mediatoris excludi à sua Deitate: ut non sequitur, Si quis Senator alicuius Reip. (ut multis in locis fit) proponat causam alicuius rei in Senatu, illum sese abdicare Senatoria dignitate: interim quatenus est Senator, intercedit pro reo coram toto Senatu, &

C ij sic coram

sic coram se. Sic Christus fungens officio Mediatoris intercedit apud Deum patrem scilicet, filium & Spiritum S.

LXXIII.

Ita etiam falsum est illorum hominum dilemma. Nam observata ea distinctione, quam nunc attulimus, nec pater, qui nunquam est sine filio, invocatur sine filio: nec Mediatore caremus, quatenus est Θεωδρωμος. Ut enim quod Christus est homo, non impedit, quin sit hominum mediator: ita nec, quod Deus est, obstat, quò minus apud Deum sit mediator.

LXXIV.

Verùm (inquit) Mediator ab utroque extremo distingui debet: Ergo Christus mediator & à Deo & ab hominibus distingui debet. Respondemus: distingui quidem sed salva utraq; natura. Utramq; enim requirit officium Mediatoris: & omnino distinguitur ab extremis: quia nullus extremorum est simul Deus & homo.

LXXV.

Scriptura passim (inquiunt Antitrinitarij) apud solum Patrem, non apud aliquam Trinitatem Mediatorem nos habere affirmat, imò nullus apex invenitur de Trinitate per Mediatorem invocanda: Ergo unus pater invocatur per Mediatorem.

LXXVI.

Primùm negamus illum dici mediatorem apud solum patrem: Dicitur enim Mediator Dei & hominum. Illum autem & nomine & re Deum esse, iam supra abunde demonstratum fuit. Deinde falsam ostendimus esse hanc hypothésin: Quotiescunq; patris sit mentio in Scripturis, excludi vel separari filium: cum pater nunquam sit sine filio suo & verbo essentiali, & eodem cultu honoretur. Nam omnes tenentur honorare filium quemadmodum honorant patrem.

LXXVII.

Ille enim, ne quidem in statu humilitatis à patre fuit separatus: sed fuit semper in sinu patris, & pater in filio & dum reconciliaret mundum Deo, Deus erat in eo mundum reconcilians.

Iohan. 1.
Iohan. 14.
& Corin. 5.

lians sibi. Licet ergo humana natura nunquam à filio auellatur, non sequitur (vt colligunt Antitrinitarij) eum non posse esse Deum illum, qui inuocatur: cum sufficiat, vt sine Idololatria inuocari possit, illum esse Deum, etiamsi simul sit verus homo.

LXXVIII.

Qua ergo fronte affirmant aduersarij, nullum esse in Inuocatione vsum talis Dei, qui sit pater, filius & Spiritus S. & certitudinem omnem nostrarum precum corruere: cum potius sentiant pia mentes nihil tantam fiduciam nobis adferre, quàm quòd in ipsa Trinitate, & ex ipsa Trinitate Mediatorem habemus?

LXXIX.

Soli illi Deo debetur inuocatio & adoratio, qui est origo rerum omnium (inquiunt illi:) At pater solus est origo, vnde omnia manant, & vnde filius ipse originem habet. Ergo solum patrem per filium mediatorem inuocare debemus.

LXXX.

Retorquetur autem ab Orthodoxis argumentum: Sine filio factum est nihil eorum, quae facta sunt. Ergo ei quoque, vt origini rerum omnium debetur inuocatio. Et originem habet filius à patre, sed non essentiae aut temporis alicuius respectu: verum quia filius, siue altera illa persona Deitatis. Pater cum sit aeternus, nunquam fuit sine filio: quem sibi ὁμοούσιον genuit, cuius essentiam illam communicat, quae est sine origine. Alia ergo est origo essentiae, alia personae.

LXXXI.

Delectantur nonnulli & hoc Sophismate: Verus & vnus Deus est pater Christi. Sed Trinitas non est pater Christi. Ergo Trinitas non est ille verus Deus.

LXXXII.

Falsa est maior, si vniuersaliter ponatur, vt eam poni necesse est, si valere debet argumentum: ita nimirum: Quicquid Deus est, esse patrem Christi. Nam vt maximè sit singularis Dei natura, vim tamen habet vocabuli communis, quatenus

C ij intri-

in tribus personis existit. In illa autem predicatione; verus Deus est pater Christi, predicatur non quidquid est in Deo, id est, tota essentia: sed relatio patris ad filium, quæ in illo vero Deo est, sicut ab utroque processio Spiritus S.

LXXIII.

Magnificè etiam exultant Antitrinitarij in hoc argumento: Si in filio sit ipsa essentia patris: & illa tribus personis sit communis, Ergo & patrem incarnatum: quo argumento aiunt Zanchum mirè torqueri, & fateri tandem, se ignorare, quomodo Filius sit incarnatus, & tamen pater non sit incarnatus.

LXXXIV.

Atqui magnam hinc impudentiam homines illi produunt. Nam si vllum argumentum aduersariorum diligenter excussit Zanchus, illud nominatim excussit, ut videre est part. secund. libr. 5. cap. 6. de Trinit. etiamsi in conclusione verè & piè subiiciat, illa aduersariorum argumenta duci ab humanis rationibus, quæ de Creatore iudicant iuxta res creatas. Audiendum autem Dei verbum, & humane prudentiæ renunciandum. Nam (inquit) licet non intelligam, quomodo λόγος sit incarnatus, credo tamen: Sic licet non percipio, quomodo tota filij ὁσία sit incarnata: nec tamen pater, cū sint una ὁσία, sit incarnatus: tamen quia Scripturæ id docent, iccirco firma fide credendum mihi est, & credere volo.

LXXXV.

Summa autem solutionis illius obiectionis hæc est: Et si tota essentia sit filio communicata, & rectè dicatur persona Mediatoris constare natura diuina & humana: non sequi tamen patrem incarnatum: sed hoc tantum sequi in filio incarnato esse patrem; quia ut maximè tota Trinitas unà operetur, habent personæ suam peculiarem energiam. Actiue ergo Incarnatio est totius Trinitatis: passiue, personæ missæ: sicut apparitio in specie columbæ fuit peculiaris Spiritus S. Exempli causâ (Si paruis tamen magna componere licet) Non sequitur de eadem

dem anima: Anima intelligens ratiocinatur, Ergo & pars
sensitiua: quia una & eadem est anima.

LXXXVI.

Aliud veterum hæreticorum argumentum ab Antitrini-
tariis interpolatum tale inter alia opponitur: In Deo non est
aliud & aliud. Atqui aliud est ingenitum esse & genitum:
Incarnatum, non incarnatum. Ergo id de uno & eodem Deo
prædicari non debet.

LXXXVII.

Respondet Basilius lib. 1. contra Eunom. Vocabulis ingeni-
ti aut geniti non essentiam aliquam, sed modum existendi ex-
primit. Ideo non esse in Deo aliud aut aliud, id est, res, vel essen-
tias diuersas: nec facit alterius nature assumptio, ut desinat
esse Deus, quâ λόγος: nec Deum duplicem aut triplicem dici-
mus, sed trinum: licet alius sit pater, alius filius, alius Spiritus
S. quando relatè & personaliter opponuntur: ut aliâ ratione
idem homo dicitur animal rationale, aliâ pater, vel pastor.

LXXXVIII.

Vnicum adhuc Sophisma subiiciam: omnia enim enumera-
re aut ea odiosè repetere, quæ ab aliis contra Antitrinitarios
sæpe dicta fuere, non est necesse: præsertim cum studiosis sit re-
linquenda occasio opponendi, & urgendi argumenta aduersa-
riorum. In Deo (inquiunt) nihil debet esse prius aut posterius:
Ergo non rectè dicitur, Pater est prima persona: Filius, se-
cunda.

LXXXIX.

Respondemus prius aut posterius non hic dici temporis vel
dignitatis respectu, sed ordinis & diuersæ relationis inter per-
sonas: quarum aliâs par est dignitas & eternitas. Nunquam
enim Deus sine sua Sapientia & virtute fuit.

XC.

Conclusio porro totius huius disputationis hæc sit: nobis
Deum agnoscendum & colendum, ut se in verbo & operibus
illustrioribus patefecit. & ut eum Ecclesia cum veteris populi,
tum in primis N. Testamenti pleniore luce donata coluit, &
adhuc

XII

I Cor. 13.
I Iohan. 3.

adhuc hodie colit, non autem ut Antitrinitarij apostata cum
Turcis colludentes & inter se maximè dissentientes somniant.
In his autem mysteriis si vspiam, debemus φρονεῖν εἰς τὸ σω-
φρονεῖν, donec illucescat illa dies, qua non per speculum & ani-
gma, sed coràm cernemus, & videbimus Deum, sicuti est.

Illi vni, soli que vero Deo, Patri, Filio & Spiritui
Sancto, sit honor & gloria, in secula.

FINIS.



Umg. VI 45

ULB Halle 3
002 379 767




s. b.

WDA



[The text on this page is extremely faded and illegible due to the dark, worn condition of the manuscript. It appears to be a list or index of names and titles, possibly including religious figures or nobles.]






4

ASSERTIONES THEOLOGICÆ
CONTRA ANTITRINITARIOS:
DEVM SINE CON-
TRADICTIONE DICI
TRINVM & VNVM.

De quibus sub Præsidio
DANIELIS TOSSANI S. THEO-
LOGIÆ D. ET PROFESSORIS
in Academiâ Heidelbergensi.

Respondebit
WILHELMVS KREI HACHEN-
burgensis, S. Sanctæ Theologiæ studiosus
in illustri Collegio domus Sapientiæ.

VIII. Decembris, horis matutinis
in auditorio Theologico.



HEIDELBERGÆ,
Apud Abrahamum Smeſmannum.
ANNO MD. LXXIII.

